I. DRVSII

DE LITTERIS מֹשֶׁה וְכָלֵב LIBRI DVO.

AD

FRANCISCVM RAPHELENGIVM.

Editio postrema emendatior & auctior.

Ex Officina Plantiniana,
APVD CHRISTOPHORVM RAPHELENGIVM,
Academiæ Lugduno-Batauæ Typographum.
cIↄ. Iↄ. IC.

I. DRUSIUS FRANCISCO RAPHELENGIO SVO.

CVM litterarum מֹשֶׁה וְכָלֵב & vſum varium lateq́. patentem, & cognitionem neceſſariam eſſe ſcirem, neminem verò accuratè de iis adhuc ſcripſiſſe animaduerterem; exiſtimaui operam meam non inutiliter collocatum iri, ſi eam pro virili litteris illis enarrãdis explicandiſque impenderem. Propoſui autem, opere in duas partes diuiſo, primùm punctorum rationem & varietatem in vnum volumen coniicere: mox altero, ſenſum ſignificationemque earum, quàm fieri poterit dilucidè, explanare. Hanc meam qualemcumque opellam, ad te po-

tiſſimùm mittere viſum, Raphelengi virorum optime, quòd conſiderem, propter communia ſtudia, gratam eam tibi, acceptamq́ue fore. Quòd ſi qui erunt, quibus iſta minutiora videbuntur, quàm vt opera in illis ponenda à me fuerit, meminerint dicti illius, quod eſt apud Ieſum Sirachi F. hominem ſapientiſſimum, Ἐν μεγάλῳ καὶ ἐν μικρῷ μὴ ἀγνόει μηδὲ ἕν: id eſt, *In paruo & in magno nihil quicquam ignores.* Vale, & his fruere, noſq́ue amare, vt cœpiſti, porrò perge.

I. DRV-

I. DRVSII

DE LITTERIS מֹשֶׁה וְכָלֵב

LIBER I.

CAPVT I.

Post *imploratum diuinum auxilium, incipiemus à littera Mem: cuius cùm ſint plures notæ, quæ ei vocalium loco ſubſcribuntur, nos tantùm illas nunc annotabimus, quas habet, cùm eſt contractio vocis ex integra* מִן. *Eſt autem tum præpoſitio, vt ſecundo libro dicemus. Igitur quam habet vocalem voce integra, eandem retinet in compoſitione, vt* מִזָּהָב ex auro. *hanc eius propriam vocalem ſubſequitur dages. hoc vt meliùs intelligas, ſciendum eſt, litteram eam, cui dages illud imprimitur, poteſtate geminam eſſe. Dages enim illam geminat. Eſt enim nota geminationis apud Ebræos, vt ſicilicus apud veteres Latinos. Siquidem veteres non duplicabant litteras, ſed ſuprà ſicilicos (apices alij vocant) apponebant. qua nota admonebatur lector geminandam eſſe litte-*

 ram,

ram: cuius rei testis est Isidorus. Fit ergo commutatio Nun, in litteram sequentem, quod indicatur per dages. Neque hoc mirum videri cuiquam debet, quum idem quoque fiat in aliis linguis. De Græca fidem facient, συλλέγω, συστρέφω, συμμαχέω. Quid Latina? In mundo sunt cõmuto, colligo, *& alia eius generis, vbi vltima dictionis* CON, *videlicet* N, *permutata est cum ea quæ proximè sequitur. Fit hoc sæpissimè apud Ebræos. Nulla enim est littera, quæ non posset hoc modo geminari. Excipio gutturatas & Resch, quæ prorsus respuunt dages. Gutturatas voco, quæ beneficio gutturis pronuntiantur. Sunt autem* אהחע. *Has ferè præcedit* ֵ, *vt* מֵאֶרֶץ è terra: מֵהֶבֶל è vanitate: מֵחֹמֶר è luto: מֵעָם à populo: מֵראשׁ à capite. *In his exemplis compensatur dages productione Hirec in Tseri. Notantur* מִחוּת à filo *Gen.* 14.23. מִרְדוֹף à persequendo 2.*Sam.* 18,16. מִהְיוֹת ex quo fuit, *Dan.* 12,1. *& alia pauca, quæ retinent chirec immutatum. Aliquãdo est* (ַ) *pro* ֵ, *vt Ps.* 55 22. חָלְקוּ מַחְמָאוֹת leniora fuerunt butyro: *& pro Hiric Malach.* 1, 13. מַתְּלָאָה de lassitudine, 1. *Paral.* 15,13. לְמַבָּרִאשֹׁנָה à principio, 2. *Paralip.* 30,3. לְמַדַּי sufficienter

sufficienter: *& segol pro hiric, ut* מָנִי *Psal.65. quod duplicantes syllabam fecerunt* מִמֶּנִּי ex me. *in quo auribus consultum. Sic* מִמֶּנּוּ abs eo, *vel,* à nobis. *Antiquum est* MEMMEN NV *apud Hieronymum. scire namque licet veteres perpetuò legisse* MEN, *quod nunc* מִן MIN *scribitur. Huc referũt* מֶנְהוּ ab eo *Job.4,12. &* מִנְהוּ *idem Psal.68. Sed ad propositum. notum est ut dages excidere soleat ex litteris Scheua notatis. Fit hoc in aliis. Peculiariter autem in Ioth etiam ipsum scheua excidit, ut* מִימִין à dextera: מִימֵי à diebus. *Excipiuntur nonnulla, quæ dages cum Scheua retinent, ut* מִיְּשֵׁנֵי è dormientibus, *Dan.* 12,2. מִיְּרֻשָּׁתְךָ de hereditate tua 2. *Par.* 20,11. *Vnicum est* מֵיְהוָה *quod semper cum Tseri scripserunt, eo quòd legerent* MEADONAI, *ac si esset* מֵאֲדֹנָי à Domino. *Interdum scripserunt* יֱהוִה *quod legerunt* ELOHIM, *videlicet quoties aut præcederet, aut sequeretur* אֲדֹנָי. *Vide quæ scripsimus hac de re Obseruat. lib.1. cap.1.*

CAPVT II.

SEQVITVR littera שׁ: quæ duplex quum sit
(duarum enim litterarum potestatem obti-
net) nos eam nunc accipimus, quæ punctum gerit
in dextero cornu, quam vocant Schin. Hæc in mi-
nisterio notatur ׃, vt שֶׁלִּי Cant.1,6. rarius, vt
שַׁקַּמְתִּי Iud.5,7. שַׁלָּמָה Cant.1,7. שַׁדּוּן Iob 19.
Vtraque post se habet dages ex natura & con-
suetudine paruarum vocalium. Contrà euenit in
[illegible] litteris, quæ aspernantur dages, vt שֶׁעָלוּ Cant.
2. שָׁאַתָּה Iud.6,17. Et quoniã hic est ֽ pro-
[illegible]monemus hoc facere accentum vt breuis pro-
[illegible]catur: aut gutturalem hostem puncti Dages;
[illegible]ius loco breuem ante se producere solet. R. Da-
[illegible]d ait hoc fieri dilatandi Aleph caussa: quod
[illegible]m Santes annotauit. Meminerimus tamen
[illegible]s legi Segol ante Aleph, vt שֶׁאֲנִי Cant.1,6.
[illegible] שֶׁ[illegible] quem dilexit. Sciendum præterea esse
[illegible] has regulas superant. Nam Cohel.2,22. legi-
[illegible]mus שְׁהוּא & 3,18. שְׁהֶם, vtrobique cum scheua
sub שׁ. Admonemus quoque poni hanc litteram
promiscuè & sine discrimine ante quaslibet di-
ctiones.

CA-

CAPVT III.

ה *littera, quoties seruit pro articulo, aut aduerbio vocandi, communiter habet – sequente dages, vt* הַמֶּלֶךְ ὁ βασιλεύς: הַנָּבִיא ὁ προφήτης: הַסּוּסִים ô equi: הַזְּקֵנִים ô senes. *Nisi ad verba ab his litteris* אהחער *incipientia accedat. Nam tunc habet* ָ, *vt* הָאָדָם ὁ ἄνθρωπος: הָהָר τὸ ὄρος: הָעוֹלָם ὁ αἰών: הָעִבְרִים Ebræi: הָרֶכֶב ἡ ἅμαξα. *Notantur ex his potissimum* ה *&* ח *quas sæpius præcedit* ַ, *vt* הַהֵיכָל templum: הַחַלּוֹן fenestra: הַעִוְרִים cœci. *Sin autem ad verba accedat polysyllaba incipientia ab* החע, ָ *notatis, habet segol: idque euphoniæ, & suauioris soni gratia, vt* הֶהָרִים montes: הֶחָכָם ὁ σοφός: הֶעָשָׁן fumus. *Huc refer* הֶאָמוּר ô qui diceris *Mic.*2.7. הֶחֳדָשִׁים calendæ *Nehem.*10.33. *Similiter euenit in nota interrogandi, vt* הֶהָיְתָה an fuit? *Ioel.*1,2. *Diximus litteram sequentem onerari dages. Contrà accidit in Ioth, cui scheua subest, vt* הַיְלָדִים pueri: הַיְשׁוּעָה salus. *Notantur ea quæ post Ioth habent vnam ex gutturatis, vt* הַיְהוּדִי Iudæus: הַיְעֵלִים ibices הַיְעֵפִים defatigati. *Hinc rursus excipiuntur* הַיְאֹר riuus *&* הַיְאֹרִים riui. *His adde* הַצְפַרְדְּעִים ranæ. *Quod in singulari semel legi-*

tur הַצְּפַרְדֵּעַ cum dages in Sade. Sic in הַלְוִיִּם vbique Lamed immunis est à Dages. Similiter in vtroque participio coniugationis secundæ, vt הַמְדַבֵּר ὁ λαλῶν : הַמְלֻמָּד edoctus. Secus tamen fit Ezec.16,32. in הַמְנָאֶפֶת adultera & 2.Reg. 9,11. in הַמְשֻׁגָּע insanus. Solet alioqui dages perire ex huiusmodi litteris. Paullo aliter notatur, cùm est interrogatio vel admirandi nota. Nam tunc sub se ־: habet, vt הֲיֵשׁ an est? nisi cùm sequitur scheua, vt הַלְהָרְגֵנִי num interficere me? הַאֲקַדְּמֶנּוּ num præoccupabo eum? Mich.6,6. הַרְּאִיתֶם an vidistis? 1.Sam.10. & 2.Reg.6,32, vbi dages in Resch, contra consuetudinem, gutturalis הַהֵיטֵב an bene? הַאִשׁ suntne? Mich.6,10. הַעֵת tempúsne? הַחִנָּם num frustra? Interdum habet (־) sequente dages, ac tum sequitur littera serua. Quo nomine facilè distingues ab articulo, qui talibus litteris non præponitur, vt הַבְּמַחֲנִים nunquid in castra? Nu. 13. הַכְּצַעֲקָתָהּ an secundùm clamorem eius? Gen.18,21. הַיִּיטַב an placet? Leuit.10,19. Sciendum quoque in articulo vim esse pronominis relatiui, quando verbis præponitur, vt הַהִקְדִּישׁ qui sanctificauit, הֶהָלְכוּא qui abierunt Ios.10. de

quo

quo poſtea. Pæne exciderat הַֽמְּכַסֶּה celabóne? *notatur cum accentu poſt* ־, *differentiæ cauſſa, ne articulus putetur* הַֽמְּכַסֶּה, *quem Metheg; ſiue Gaaia præcedit. itaque vertendum hîc*, qui operit, *vel* operiens, *ſi credimus Eliæ grammatico.*

Capvt IIII.

V**AV** *littera in ordine proxima eſt, quam mouet ſemper ſcheua, vt* וְדֶרֶךְ & via: *niſi ſequatur alterum ſcheua, vt* וּקְרָב & prœlium: *aut vna ex litteris* בומף, *quas labiatas indigitant, vt* וּבוֹר & fouea: וּוָו & vncinus: וּמֹף & Memphis: וּפֶה & os. *Induit enim tunc naturam vocalis ſchurec; ſiue* υ *longi, quod Italicum vocatur. Ergo leges* UCRAB ὐκρὰβ: UBOR; ὐβὼρ, *& eodem modo in cæteris. Hanc legem migrant* וִהְיִיתֶם & eritis *Zach.* 8, 13. וֶחְיֵה & viues *Prouer.* 7, 2. וַעְיָרִים & pulli *Gen.* 32, 15. *& alia, quæ ſub gutturali ſcheua habent: item* וָבָא & veniens 1. *Sam.* 18. וָמֶלַח & ſal *Deut.* 29. וָפֶרַח & flos *Exod.* 25. *in quibus Vau per* (ָ) *mouetur, Ante ſcheua compoſitum, hoc eſt, ante puncta rapta, quæ ſunt* ֲ *&* ֱ *&* ֳ, *eandẽ vocalem recipit, videlicet* ־ *ante* ־: *vt* וַאֲדוֹן & Dominus, *&* ∵ *ante*

Si videlicet ſub litteris gutturalis ponantur: alioqui

ְ ante ֱ: vt וֶאֱמוֹר & dic. *Similiter* ָ *ante* ֳ, *vt* וָחֳלָאִים & inualetudines. *Deut.* 28,59. *Huc refer* וֵאלֹהִים *quod cõpendio scriptum pro* וֵאלֹהִים. *Item* וַאדֹנָי. *esset enim integrũ* וַאֲדֹנָי, *vnde* וַיהוָה. *Nam quamuis scribatur* יְהוָה, *legebant tamen veteres* אֲדֹנָי: *ex quo – illud sub Vau, quod alioqui chirec notaretur, vt in* וִיהוּדָה. *Tollitur enim sequens scheua in Ioth. Sic* וִירוּשָׁלַם & Ierusalem. Hic *notabis* וִילְלַת & vlulatus *pro* וְיִלְלַת *Ierem.* 25,36. וְיִחֲלוּ & expectabant: *quod tamen in libris hodie* וַיִּחֲלוּ *lectũ Iob.* 29,21. *Quandoque euenit vt coniungat duas voces, quarum posterior aut monosyllaba, aut penacuta est. Quando autem id fit, tum* ָ *obtinet, vt* וָרֶכֶב וָסוּס & currus & equus: יוֹמָם וָלַיְלָה interdiu & noctu. *Nec obstat littera* במף. *ge.* 1,2. תֹהוּ וָבֹהוּ. *Excipiuntur ab hac regula quædam vt* חָמָס וְרִיב violentia & contentio *Psal.* 55,10. חָכְמָה וְדַעַת sapientia & scientia *Cohel.* 2,26. & 1,17. *Sed* 1,16. חָכְמָה וָדַעַת *legitur. Admonemus quoque* (ָ) *esse sub Vau propter accentum Hag.* 2,16. וָמַעְלָה & vltra. *Leuit.* 22,27. וָהָלְאָה & deinceps. & *alibi. Huius loci est* וָלֹא & non? 2. *Sam.* 13,26. *Nam bis inuenitur, vt me docuerunt Masso-*

Masoritæ. Sciendum præterea quod hæc littera prælata Infinitiuo monosyllabo retinet (ְ) *nisi Infinitum sumatur pro Imperatiuo, vt Ierem.*3,1. וְשׁוּב & reuertere. *Ante præteritum quoq. cum* (ְ) *legitur.Gen.*33,13. וָמֵתוּ & morientur. *Iesa.* 6,10. וָשָׁב & reuertatur. *Prouerb.*24,16. וָקָם & surget. *Gen.*49,23. וָרֹבּוּ & iaculati sunt. *Sed cùm longæ sunt dictiones habet scheua, vt* וְקַמְתֶּם *& aliàs, vt Deut.*31,16. וְקָם *&* 22,22. וּמֵתוּ & morientur. *Sæpe futuris præponitur cum* – *sequente daghes (quod tamen interdum abest propter Scheua, vt in* וַיְהִי & fuit) *aut* ָ *ante* א, *vt* וַיִּשְׁלַח & misit: וָאֶפְקֹד & visitauit. *Ita interpretor, quia Vau istud futurum in præteritum conuertit.*

CAPVT V.

CHAPH, *seruiens in capite nominis, per*(ְ) *communiter scribetur, vt* כְּעֵץ tanquam arbor: *præterquàm cùm ei accedit alterum scheua. Nam tunc eius loco erit Chirec, vt* כִּסְדֹם sicut Sodoma. *Insuper Ioth sequens, scheua amittit, vt* בִּימֵי sicut in diebus: *& Chirec, vt*

בִּיתְרוֹן

כִּיתְרוֹן *Cohel.2,13. quod esset* כִּיתְרוֹן sicut excellentia. *Puncta rapta insequentia afficiunt eam vocali affini, vt* כַּאֲרִי sicut leo: כֶּאֱכוֹל quum edet: כָּאֳנִיּוֹת sicut naues. *Prouerb.31,14. Scias tamen quòd contractio sit in* כֵּאלֹהִים quasi Dij: *& anomalia in* כַּיהוָה sicut Dominus, *cuius notationis caussa suprà à nobis exposita fuit in . piget repetere. Ad hæc includit sæpe articulum He, cuius etiam rationẽ punctandi tunc per omnia sequitur, vt* כַּשֶּׁמֶן tanquam vnguentũ. *Compendij enim & breuitatis gratia ita scribimus pro* כְּהַשֶּׁמֶן. *meminerimus similiter hîc esse ‒ ante gutturalem, vt* כַּחוֹל sicut arena: *& ָ, vt* כָּעֵץ sicut arbor. *item* ֳ, *vt* כֶּעָשָׁן sicut fumus.

Capvt vi.

Lamed *& Beth iisdem regulis continentur. Singulare est* לֵאמוֹר ad dicendum. *non enim sic dicimus* כֵּאמוֹר *aut* בֵּאמוֹר *sed* בֶּאֱמֹר in dicendo, & כֶּאֱמוֹר quum dicet. *Plenè scriptum* בְּהַשָּׁמַיִם *Psal.36. & contractè* בַּעֲלֵי *Prouerb.27. pro* בְּהַעֲלֵי pistillo. בִּיקְּרוֹתֶיךָ *Psal.45,* 10. *pro* בְּיִקְּרוֹתֶיךָ inter honoratas tuas. לִיקְּהַת *Prouerb.30,17. pro* לְיִקְּהַת rugas aut mandatum

tum vel senium, *id est*, γῆρας· בַּעֲזוֹר quum adiuuisset 1.*Paralip*.15, 26. לַאדֹנִי Domino meo. *Psalm*.110,11. *&* בַּאדֹנִי 2.*Sam*.18,28. *Dicunt etiam* לַיהוָה *&* בַּיהוָה *quæ obuia passim. Item* בֵּאלֹהִים in Deo *Psalm*.3,3. לֵאלֹהֵי מָרוֹם Deo cœli *Mich*.6,6. לַחְמֹם *Ies*.47. *pro* לַחֲמֹם ad calefaciendum. לֳחֳדָשִׁים *Ies*.47,13. *In* בָּהֳשַׁמָּה *Leuit*.26. *transpositæ sunt vocales primæ. Esset enim* בְּהָשַּׁמָּה *vt Camius obseruat. Sæpius* ל *ante vocem paruam aut penacutam habet* (ָ) *vt* לָבֵן ideo לְבוֹן ad intelligendum. לָבֶטַח *securè. Interdum aliter fit* לְמַן ex לְעַם in populum. לְיַחַד pariter. *Ezech*.47,12. לֳחֳדָשִׁים per menses, *quod leg.* LOCHO-DASCHIM *per camets breue* 14. *& non per camets longum, vt Santes putat. Hactenus de notis vocalibus, quibus hæ litteræ afficiuntur. Videamus nunc quis sit vsus earundem, quísve sensus, aut interpretatio.*

I. DRVSII
E LITTERIS מְשֶׁה וְכָלֵב
LIBER II.

CAPVT I.

MEM *littera notata eo modo, quo dixi*mus, *præpositio est, quam in*terpretantur (a) *vel* (ab) *Zachar.* 21,13. מֵעֲלֵיהֶם ab illis. *Gen.*2,2. מִכָּל־מְלַאכְ ab omni opere suo. *In quibus* *emplis priore loco pro* ἀπό: *posteriore pro* ἀπό *cipitur.* *Et* (de) *Ezec.*16,17. מִזְּהָבִי de au- meo. *Item* (e) *vel* (ex) מִמְּךָ ex te. *Et mo-* *m è loco significat Hos.* 11,1. מִמִּצְרַיִם ex gypto. *Et materiam, Cant.*3,9. מֵעֲצֵי הַלְּבָנוֹן arboribus Libani. *Et comparationem, Iesa.* ,1. רַבִּים מִבְּנֵי multi, quàm filij. *Latinè,* ures quàm filij. *Subintelligitur autem* יוֹתֵר; *sit* μᾶλλον ἢ τὰ τέκνα, *quomodo Apostolus ex-* *cat Galat.*4,27. *Tale est*, claris maioribus uàm vetustis. *Cohel.*7,1. טוֹב מִשֶּׁמֶן melius eo. *Psalm.*45,8. מֵחֲבֵרֶיךָ supra consortes os. *Ebr.*1,9. παρὰ τοὺς μετόχους σου. *Iud.*5,34. מנשים

מִנָּשִׁים prǽ mulieribus aliis. *Pſa.8,6.* מֵאֱלֹהִים à Deo, *vel* παρ᾽ ἀγγέλους. *Simile apud Gellium,* friget ab illo, *pro, comparatus ad illum. Aliquando pro* (ב in) *accipitur. Pſal.68,30.* מֵהֵיכָלֶךָ in templo tuo *Ezec.48,29.* מִנַּחֲלָה in hæreditatem *Pſalm.72,16.* מֵעִיר in ciuitate *Jerem.* 3,20. מֵרֵעָהּ in ſociam ſuam. *Quæ tamen alij aliter interpretantur: fortè meliùs. Et pro* (אחר poſt) *Höſ.6,3.* מִיֹּמָיִם poſt biduum. *Qualia ſunt*, à cœna, à meridie, à coïtu. *Et vice* (ad) *vel* (iuxta) *Pſal.16,8.* מִימִינִי à dextera mea. *Aliàs* (propter) *denotat Pſal.12,6.* מֵאַנְקַת ob clamorem. *Abd.*10. מֵחֲמַס propter violentiam. *Ruth* 1. מִכֶּם veſtra cauſſa: *niſi in comparatione accipias pro* מִלָּכֶם: *vt Geneſ.19,9.* מֵהֶם *ſumitur pro* מִלָּהֶם *in illo ſermone*, malefaciemus tibi magis quàm illis. *Aliàs* (ante) *ſignificat Ieſa.43,13.* מִיּוֹם ante diem. *ſenſus eſt*, antequam eſſet dies: *vel*, ante vllum tempus. *Sæpe negationem includit, & pro* מִהְיוֹת ne ſit *ſumitur. Pſalm.69,24.* מֵרְאוֹת ne videant. *Rom.11,10.* τοῦ μὴ βλέπειν. *Hoſ.4,6.* מִכַּהֵן לִי ne miniſtrares mihi. *Mich.3,6.* מִקְּסֹם ne diuinetis. מֵחָזוֹן ne ſit viſio. *Ierem.48,2.*

מִ ne sit gens. Ezec.16,40. מִזּוֹנָה ne esses
eretrix. Hos.9,12. מֵאָדָם ne sint homines.
Sam.15,22. מִמֶּלֶךְ ne sis amplius rex. *Aliter*
ullo accipitur, & quasi defectum insinuat Psa.
9,24. מִשֶּׁמֶן defectu pinguedinis. *Thren.*
9. מִתְּנוּבוֹת defectu frugum. *Ierem.*48,45.
מִכֹּחַ absque viribus, *vel* defectu virium.
uod tamen alij reddunt, propter vires ho-
um. *fortè melius. Praeterea significat* (ὑπὸ
prae) *Psalm.*6,8. מִכַּעַס prae indignatione.
מִפַּחַד prae timore, *vt in illo exemplo*, misera
hic prae timore exclusit foras. *Sic* ὑπὸ τοῦ
legitur Matth. 28, 4. *quod esset* ὑπὸ *po-*
Denotat etiam (עִם cum) *Iesa.* 57, 9.
cum eis. *Quale illud Plauti Mercatore,*
iam ex melle vorato Ægyptiã, *id est,*
λπ©, *vt loquitur de eadem re Dioscori-*
Adhaec refertur ad caussam efficientem Psal.
23. מֵאֵת יְהוָה à Domino. 31. מִכָּל־צֹרְרַי
הָיִיתִי ab omnibus hostibus meis fui
brium. Latinè, fui eis opprobrio. *Et pro*
et) *sumitur, nisi fallunt Ebraei, Iud.*11,34.
uod legendum coniiciunt מִמֶּנָּה, *& ex-*
מִמֶּנָּה חוּץ praeter eam, *cùm posset ex-*
poni,

poni, non habebat ex se filium aut filiam. Quandoque innuit ἐξαίρετόν τι *Psalm.* 28, 7. מִשִּׁירִי è canticis meis. *significat enim* cantico aliquo eximio & singulari. *Huius sententiæ est*, Ebræus ex Ebræis. *Est ubi desideretur per ellipsin. Genes.* 3, 19. עָפָר è puluere. *Exod.* 37, 5. זָהָב ex auro. *Jesa.* 52, 2. מוּסְרֵי à vinculis *Jos.* 10, 13. אֹיְבָיו de inimicis suis. *Rursum Exod.* 19, 12. עֲלוֹת ab ascendendo. 1. *Sam.* 25. בֵּית לֶחֶם è Bethlehem: 1. *Reg.* 6, 31. עֲצֵי שֶׁמֶן ex lignis oleæ. *Sunt & alia significata, sed quæ facilius ex ipsis intelligentur exemplis, qualia sunt in illis, Hos.* 7, 5. חֲמַת מִיָּיִן lagená è vino. *id est*, vini plena. *Gen.* 31, 24. מִטּוֹב עַד רָע neque bonum neque malum *Ion.* 3, 5. מִגְּדוֹלָם וְעַד קְטַנָּם tam paruus, quàm magnus. *Psa.* 80, 14. חֲזִיר מִיַּעַר porcus de sylua. *id est*, syluestris. *Componitur quoque cum aliis particulis, quæ vel præcedunt*, 1. *Paralip.* 27. לְמִבֵּן à filio. *Iesa.* 7. לְמִיּוֹם à die. *Rursus* 1. *Paralip.* 15, 3. לְמִבָּרִאשׁוֹנָה à principio (*in quo exemplo* ל & ב *redundare videntur. satis enim erat si dixisset* מֵרִאשׁוֹנָה) *vel ponè sequuntur*, *Zach.* 11, 13. מֵעַל ἄνω. *Deut.* 18, 19. מֵעִם. *& Psalm.* 118. מֵאֵת *synonyma* τοῦ מִן à

מִטֶּרֶם priusquam. מִמָּחֳרָת postridie
ocul. מֵעַל supra. מִתַּחַת sub *vel* desub.
tremum in Floro exstat מִלְּפָנִים ante.
conspectu מִלְּמַטָּה מִלְּמַעְלָה *sursum*
מִשָּׁם ibi. מֵאֵין non *Ierem.* 10. & בְּאֵין
, & מִבְּלִי *idem.* & מִבִּלְתִּי eo quòd
. *Iam verò Hos.* 1, 2. מֵאַחֲרֵי *quasi*, de
t inante *veteres dicebant, geminata præ-*
e. 1. *Samuel.* 18, 30. מִדֵּי צֵאתָם à quo
i sunt. מִדֵּי חֹדֶשׁ de mense. *In his locis* דֵּי
iectio syllabica. 2. *Sam.* 22, 32. מִבַּלְעֲדֵי יְהוָה
er Dominum. *Thren.* 3. *in fine* מִתַּחַת שְׁמֵי
de sub cælo Domini. *sensus est*, ne sint
cælo: *vel magis*, ex omni eo quod sub
quasi diceret, è rerum natura. מִבְּנֵי אָרַח
Iud. 5. מִבֶּטֶן ex vtero: *non, vt Hiero-*
autumat, ex meo vtero. *Ioth enim*
eo in sermone. Adi Obseruationes meas.

CAPVT II.

era, quando in ministerio est, synonyma
relatiuo אֲשֶׁר: *vnde etiam desumpta pu-*
sicut Mem ex מִן. *Ergo valet* Qui,
uod, *sine differentia generis aut numeri.*

Est

*Est enim infinita. Cant.*1,7. שֶׁאָהֲבָה quem dilexit. *Iud.*5,7. שַׁקַּמְתִּי quæ surrexi. *Rursus Cant.*1,7. כַּרְמִי שֶׁלִּי vinea quæ mihi est, *id est*, mea. *Cohel.*2,21. שֶׁעֲמָלוֹ cuius labor. *Cant.*4,2. שֶׁעָלוּ quæ ascenderunt. *Et* (ἵνα vt) *Cohel.*3,14. שֶׁיִּרְאוּ vt timeant. שֶׁיֹּאכַל vt comedat. *Aliquando significat* (quia) *vel* (quoniam) *Cant.* 1,6. שֶׁשֱּׁזָפַתְנִי quia aspexit me. שַׁלָּמָה vt quid enim. *Et pusillo aliter Cohel.* 3,18. שְׁהֶם בְּהֵמָה quòd sint iumenta. *Iud.* 6,17. שָׁאַתָּה מְדַבֵּר עִמִּי quòd tu loquaris mecum. *Interdum abest per ellipsin.* 2. *Paral* 15. מִן הַשָּׁלָל הֵבִיאוּ *supplendum vt sit* שֶׁהֵבִיאוּ ex spoliis, quæ adduxerunt. *Similiter Hos.*1,6. לֹא אוֹסִיף עוֹד אֲרַחֵם *integrum* שֶׁאֲרַחֵם. *sententia verò est*, denuo amplius non miserebor. *Ies.* 54,1. לֹא יָלָדָה quæ non peperit: *Galat.*4,27. ἡ οὐ τίκτουσα. *Quoties post se* ל *habet, indicat genitiuum casum, vt Cant.* 3,7. מִטָּתוֹ שֶׁלִּשְׁלֹמֹה lectus ipsius Salomonis. *Sciendum autem Magistros hinc fecisse suum* שֶׁל, *quo passim vtuntur. Hanc litteram præcedit* (ב) *Ion.*1,12. בְּשֶׁלִּי propter me. *Genes.*6,3. בְּשַׁגַּם eo quòd etiam. *Coh.* 8,17. בְּשֶׁל אֲשֶׁר propter quod *vel* propterea quod. *Et* (ל) *vt*

dicimus לְשֶׁאֵינָם vt non ſint. לְשֶׁיִּמְנְעוּ vt
bibeant. Et (כ) Cohel. 9,12. כְּשֶׁתִּפּוֹל quum
derit. 10,3. כְּשֶׁהַסָּכָל הֹלֵךְ quum ſtultus
bulat. Et (מִן) Cohel. 5,4. מִשֶּׁתִּדּוֹר quàm
voueas. מִשֶּׁבָּאוּ poſteaquam venerunt.
ex quo mortuus eſt. מִשֶּׁלִּי ex meo. Et
Cant. 1, 12. עַד שֶׁהַמֶּלֶךְ donec rex. 2,7.
שֶׁ donec voluerit.

CAPVT III.

littera, in capite dictionis, vim obtinet articuli præpoſitiui. Et cum emphaſi ponitur ſt, rem certam denotat Ieſa. 7,14. הָעַלְמָה *θένος. Et ſine emphaſi Deut. 8,3.* הַלֶּחֶם *Matth. 4,4. ἄρτος. Gen. 19,8. & 42,* הָאֶחָד vnus, quidam. *Leuit* 5,8. הָאָדָם *Rom. 10,5. ἄνθρωπος. Geneſ. 21,10.* הָאָמָה ancillam hanc. *Hîc aduerte. Si ar- certam ancillam demonſtraret, quorſus ur pronomen* הַזֹּאת? *An dicemus pleonaſſe qualis in illo Ciceronis,* Iampridem eum ipſum (me autem dicebat) inſtitui? *Plautus quoq. dixit,* Hunc releci. *Cæterùm vis articuli emphatica,*

ticæ, quæ ad certam notionem voces adstringit, vt Græcè quidem eleganter, ita Latinè exprimi non potest. tamen intelligitur, vt cùm dicimus poëta *de Virgilio. Neque est necesse dicere* poëta ille. *nam id minus esset, & de alio intelligi posset. Certè* vrbem *dicebant antiqui* Romam *significantes, nec tamen addebant* illam. *Notabis* הַיּוֹם hodie הַלַּיְלָה hac nocte, *aliaque, in quibus articulus vim habere videtur pronominis. Substantiuum & adiectiuum simul leguntur cum articulo,* הָאָרֶץ הַטּוֹבָה, ἡ γῆ ἡ ἀγαθή. *Interdum secus fit. nam est vbi substantiuo præponitur tantùm articulus, vt* הַכְּרוּב אֶחָד Cherub vnus. הָעֲגָלָה חֲדָשָׁה plaustrum nouum. *Contrà præponitur adiectiuo, & non substantiuo, vt* שַׁעַר הָעֶלְיוֹן porta superior אִישׁ הֶעָשִׁיר vir diues. *Hîc obseruare poteris articulum non poni ante nomina constructa, aut ea quæ iunguntur pronominibus affixis. notatis tantùm* הָאֶבֶן הַבְּדִיל lapidem stanni, הָאֹהֳלִי taber-naculum meum, *& aliis nonnullis, in quibus contrà euenit. Hæc regula non habet locum in participiis, vt* הַפּוֹדְךָ redimens te. *Obseruandum quoque præponi nominibus locorum.*

ſ.4,15. תָּבֹאוּ הַגִּלְגָּל venite Galgalam. *Gen.*
2. אֶרֶץ הַמֹּרִיָּה terra Moria. *Et fluminum*
a.29,13. עֵבֶר הַיַּרְדֵּן trans Iordanem. *Pro*
) *quidam accipiunt Pſal.*123,4. הַלַּעַג הַשַּׁאֲנַנִּים
na tranquillorum. *Nam ſequitur in eodem*
erſu הַבּוּז לִגְאֵיוֹנִים contemptio ſuperbo-
m. *Sed ſicut in quæſtione eſt hoc, verum ſit,*
ne: ita dubitare non debemus in fine dictio-
motum ad aliquid hac littera ſignificari: quod
*mpla clarum facient. Geneſ.*14,10. הָרָה in
ntem, 1. *Sam.*21,1. נֹבֶה εἰς Νώβ, *id eſt,*
vt Ionathan reddit. & *præpoſito articulo*
2,16. הָהָרָה ad montem. *Sic* שָׁמַיְמָה &
הַשָּׁ: *quorum poſterius reperies Deu.*30,12.
Græcè verſum εἰς τὸν οὐρανὸν *Roman.* 10, 5.
breuiùs dicunt οὐρανόνδε, & οὐρανόσε. *Illud*
*noto, legi Pſal.*9,18. לִשְׁאוֹלָה ad ſepul-
m: & *neſcio quo in loco* לְהָהָרָה in mon-
vtrobique ſuperante. *Sunt qui ſcribant*
otum à loco hac littera ſignificari vt מִזְרָחָה
iente. נֶגְבָּה ab auſtro יָמָּה à mari. *Vide*
*in Ioſuam, pag.*266. & 283. *Rariùs*
tur ante verba pro articulo, quem vocant,
ſitiuo. Ezræ 8,25. הַהֵרִימוּ quam obtule-
rant.

tant. הַמְקַדִּישׁ quæ ſanctificauit. *Hactenus de articulo. Eadem littera vſurpatur pro aduerbio vocandi. Pſalm.9,7.* הָאֹיֵב ô hoſtis. *Ioel.1,2.* הַזְּקֵנִים ô ſenes. *Pſalm.114,5.* הַיָּם ô mare. *Et deſideratur Hoſ.13,14.* מָוֶת ô mors: שְׁאוֹל ô ſepulchrum: *qui locus Græcè exſtat 1.Cor. 15,55.* ποῦ σου, θάνατε, τὸ κέντρον; ποῦ σου, ᾅδη, τὸ νῖκος; *eſſet* ὦ θάνατε: ὦ ᾅδη. *Vſurpatur ſæpius pro interrogatione, aliter notata. Gen.4,9.* הֲשֹׁמֵר num cuſtos? *Pſalm.14,2.* הֲיֵשׁ num ſit? *Hag. 1,4.* הַעֵת tempúſne? *Ioel.1,2.* הֲהָיְתָה זֹאת an fuerit hoc? *Quod ſi* (לֹא) *ei iungatur, æquipollet aduerbio affirmationis: Abd.4.* הֲלֹא יִגְנְבוּ nonne furati fuiſſent? *In hoc ſignificatu quoque interdum* ἐλλείπει. *Iob 40,20.* תִּמְשֹׁךְ לִוְיָתָן בְּחַכָּה extrahes Leuiathan hamo? 2,10. וְאֶת הָרַע לֹא נְקַבֵּל & malum non accipiemus? *Geneſ. 27,24.* אַתָּה זֶה בְּנִי עֵשָׂו tu es filius meus Eſau? *Mich.5,2.* צָעִיר לִהְיוֹת parua vt ſis? *Hoc eſt interprete Matthæo* μηδαμῶς ἐλαχίστη, nequaquam minima es. *Simile eſt,* frugibus inuentis veſcemur glandibus? *& 1.Corinth. 11,13.* πρέπον ἐστὶ γυναῖκα ἀκατακάλυπτον τῷ θεῷ προσεύχεσθαι; decet mulierem non vela-

 tam

am Deum orare ? *ita Ambrosius explicat Officior. lib. 1. cap. 46.*

CAPVT IIII.

VAV *litteræ vsus multiplex & varius est. Nam pro* (&) *ponitur Gen.* 1,1. וְאֵת הָאָרֶץ terram. *Iesa.* 6,9. וּרְאוּ & videre. *Et pro* (גַּם iam) *Prou.* 24,27. אַחַר וּבָנִיתָ postea etiam trues. *Exod.* 12,4. וּשְׁכֵנוֹ etiam vicinum um. *Sic* hodieque *vsitamus*, *pro* hodie am. *Sophocles Aiace*, Ἐγὼ σκοτώσω, βλέφαρα δεδορκότα, etiam videntes. *Et repetitum va*cum) *vt in illo sermone* וְרֹכֵב סוּס tum curcum equus: *Item pro* (או aut) *legitur Exod.* 7. וְאִמּוֹ aut matri suæ: *Matth.* 15,4. ἢ μη-*Esth.* 4,11. אִישׁ וְאִשָּׁה vir feminave. *Hag.* וְאֶל הַיַּיִן aut vinum. *Et pro* (quia) *vel*) *Iesa.* 64,5. וַנֶּחֱטָא quia peccaueramus. 108,13. וְשָׁוְא nam vanitas. *Eadem est* atio τοῦ (&) *in illo Virgilij*, Audieras, & fuit, *vt quidem Grammaticis placet, qui* nt, nam fama fuit. *Legitur etiam pro*) *aut simili coniunctione. Iesa.* 29,13. autem eius: *Matth.* 15,8. ἡ δὲ καρδία αὐτῶν.

μυτῶν. *Malach.*1,3. וְאֶת עֵשָׂו Esau verò. *Prou.* 21,31. וְלַיהוָה sed Domini est. *Sic Matth.*12; 39. *καὶ σημεῖον οὐ δοθήσεται αὐτῇ*. *sensus est, ἀλλὰ σημεῖον*, sed signũ non dabitur ei. *Aliquando ponitur in exegesi, quasi pro* (id est) *vt* que *in illo Virgilij*, Iudicium Paridis spretæque iniuria formæ. *Quale est Hesiodi hoc, ἄσπερμα καὶ κυνὸς ἀρχομένου. Nam simpliciter ἄσπερ nomine canem significabant. Genes.*14,23. אִם אֶקַּח hoc est, si accepero. *Et ἐναντιωματικῶς Hos.*1,10. וְהָיָה tamen erit. *Ierem.*65,7. וּמִמְּנָה tamen ab ea. *Aliàs denotat* (אָז tunc) *Genes.*18,10. וְהִנֵּה tunc ecce. *Exod.*7,9. וְאָמַרְתָּ tunc dices. *Similiter Matth.* 9,7. *καὶ ἐγερθεὶς ἀπῆλθεν εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ*, tunc surrexit, abiitque domum. *Aliàs* (itaque) *aut simile quid. Amos* 5,27. וְהִגְלֵיתִי אֶתְכֶם itaq. transferam vos. *Hos.*10,4. וּפָרַח propterea efflorebit. *Psal.*18,47. וְיָרוּם ideo exaltetur. *Aliàs* (ita) *vel* (sic) *Prouer.* 17,3. וּבֹחֵן sic probat. 10,25. וְאֵין רָשָׁע ita non est improbus. *Iesa.*53,7. וְלֹא יִפְתַּח פִּיו ita non aperit os suum: *Actor.*8,32. *οὕτως οὐκ ἀνοίγει τὸ στόμα αὐτοῦ*. *Aliàs* (עִם cum) *Exo.*1. וְיוֹסֵף cum Ioseph. 1. *Sam.*14. וּבְנֵי יִשְׂרָאֵל cum filiis Israel.

Inter-

Interdum significat (postquam) *Exod.*16,20. וַיָּמָרֵם וַיִּבְאַשׁ postquam putruisset. *Iud.*2,22. וְעָלוּ post-postquam mortuus esset. *Hos.*1,11. וְעָלוּ postquam ascenderunt. *Et* (postea.) *Exod.*32,6. וַיָּקֻמוּ לְצַחֵק postea surrexerunt vt luderent. *Et* (quamuis, licet, etiamsi) *Zach.*12,3. וְנֶאֶסְפוּ etsi cõgregentur. *Hos.*5,2. וַאֲנִי quamuis ego essem. *Adhæc valet idem quod* (כַּאֲשֶׁר quemadmodum) *Psal.*7,14. וְהָרָה quemadmodum concepit. 68,35. וְעֻזּוֹ בַּשְּׁחָקִים quemadmodum potentia eius in nubibus. *Et quod* (רַק tantùm, dumtaxat) *Gen.*42,10. וַעֲבָדֶיךָ בָּאוּ dumtaxat serui tui venerunt. *Zach.*8,19. וְהָאֱמֶת tantummodo veritatem. *Aliter accipitur, quasi pro* (quando) *vel* (quum) *vt Psalm.* 59,16. יָלִינוּ quum pernoctant: *Marc.* 15,25. ἦν δὲ ὥρα τρίτη, καὶ ἐσταύρωσαν αὐτόν. *Latinè*, erat autem hora tertia, quando crucifixerunt eum. *Accipitur etiam pro* (אֲשֶׁר qui, quæ, quod) *Malach.*3,1. וּפִנָּה qui præparabit. *Matth.*11,10. ὃς κατασκευάσει. *Et pro* (vbi) *Genes.*15,13. וַעֲבָדוּם vbi seruient eis. *Redditur etiam potest per pronomen demonstratiuum* Psal.1,3. וְהָיָה Hic erit. *Sirach.*13,15. καὶ οὗ

καὶ οὐ μὴ φείσεται, Hic non parcet. *Sæpe præteritum in futurum conuertit. Ioel.* 3, 3. וְנָתַתִּי & edam: *Actor.* 2,19. ἐ δώσω. *Deut.* 6, 6. וְאָהַבְתָּ & diliges: *Marc.* 12,30. ἐ ἀγαπήσεις. *Gen.* 12,3. וְנִבְרְכוּ & benedicentur: *Actor.* 3, 25. καὶ ἐνευλογηθήσονται. *Et contrà futurum in præteritum. Genes.* 12,1. וַיֹּאמֶר & dixit: *Actor.* 7, 3. καὶ εἶπε. *Exod.* 32, 6. וַיֵּשֶׁב הָעָם & sedit populus. 1.*Cor.* 10,7. ἐκάθισεν. *Gen.* 2,7. וַיְהִי הָאָדָם & factus est Adam: 1.*Corinth.* 15,45. ἐγένετο. *Hic notabis, licet in supradictis locis conuertendi simul & copulandi vim habeat, tamen interdum secus euenire. Nam est vbi copulat duntaxat, vt Amos* 5,26. וּנְשָׂאתֶם & portastis: *Actor.* 7, 43. καὶ ἀνελάβετε. *Contrà conuertit tantùm Abd.* 8. וְהַאֲבַדְתִּי perdam: *& in capitibus librorum, vt Ruth* 1, 1. וַיְהִי fuit. *Hic nullum alium nisi conuersionis vsum nobis exhibet. Sunt alia præterea significata huius litteræ, non omittenda. Nam aliquando finem, vel (ἵνα) significat. Thren.* 1,19. וְיָשִׁיבוּ vt refocillarent. *Ion.* 1,11. וְיִשְׁתֹּק vt sileat. *Thren.* 3, 26. טוֹב וְיָחִיל bonum vt expectet, *id est,* שֶׁיָּחִיל. *Et quasi pro* (quanto minùs) *vsurpatur. Psal.* 121. וְלֹא יִישָׁן & non dor-

dormiet. *Hos.*1,10. וְלֹא יִסָּפֵר & non numeratur. *Scholia Ebraica enarrant vbique* כָּל־שֶׁכֵּן שֶׁלֹּא, *id est*, quanto minùs. *Præterea iungitur negationi, & (*potiùs quàm*) significat. Hos.* 6,6. וְלֹא זָבַח magis quàm sacrificium. *Eandem sententiam continent*, Scindite cor, & non vestes. Comparate sapientiam, & non argentum. *Et vsurpatur quasi pro* הֲ *interrogandi vt* וְלֹא *quod exponunt* הֲלֹא an non? *Et abundare videtur. Psal.*7,10. ובחן probans. 4,4. וּדְעוּ scitote. *Iob* 23,21. וְלֹא אָמִישׁ non recessi. 2. *Sam.* 15,34. וַאֲנִי מֵאָז ego ex tunc. *Quibusdam placet non tam abundare in his exēplis, quàm insinuare defectum alterius verbi. itaque subaudiunt Ps.* 7,10. [illegible] *vt sit* cognoscens & probans. *Similiter Zach.*2,6. וְנָסוּ צְאוּ *deest*, וְ, *vt sit*, exite & fugite. *Contrà abesse videtur, & omnino abest, si non fallunt nos Grammatici Ebræi Psalm.*33. עָשׂוֹר בְּנֵבֶל nabla & decachordo. *item Psal.* 12,6. מְנָת כּוֹסָם portio & calix eorum. *Sed de hoc exemplo ambigitur: nam potest exponi*, portio calicis eorum. *Alioqui figura, quam asyndeton alij dialyton vocant, in oratione Ebraica frequens non est. Hem pæne exciderat. Sunt* loca,

loca, in quibus non simpliciter copulat, sed quasi antè aliquid factum designat. Ge.1,9. וַיֹּאמֶר יְהוָה iam dixerat Deus. 2,7. וַיִּיצֶר iam antè formauerat. וַיַּצְמַח priùs germinare fecerat. *Quanquam vis illa non tam in copulante quàm in præterito Ebraico, quod sumitur sæpe pro præterito plusquam perfecto, vt vocant.*

CAPVT V.

CHAPH *littera communiter adhibetur pro nota similitudinis, quam interpretantur* (vt) *vel* (sicut) *Psal.44,23.* כְּצֹאן vt oues. *Iesa.*10,22. כְּחוֹל הַיָּם sicut arena maris. *Et repetita Iesa.*24,2. כָּעָם כַּכֹּהֵן sicut populus, ita sacerdos. *In quo exemplo priore loco pro* (sicut) *posteriore pro* (sic) *accipitur. Ebræi conuertunt vt populus ita sacerdos; & contrà vt sacerdos, ita populus. Sic* כָּמוֹךָ כְּמוֹהֶם sicut tu, sic illi; *& sicut illi, sic tu. Et* (אֶת) *vel* (secundùm) *aut* (iuxta) *Ierem.*31,32. אֶת כַּבְּרִית τ̃ διαθήκην: *Ebræor.* 8, 9. secundùm fœdus. 1.*Sam.*13,14. כִּלְבָבוֹ secundùm cor suum: *Actor.* 13, 22. κατὰ τ̃ καρδίαν. *Prouerb.* 24, 12. כְּפָעֳלוֹ iuxta opus suum. *Et aliter paullo,*

Exod.

Exod.8,5. כְּתַבְנִיתָם ad similitudinem eorum. Genes.1,26. כִּדְמוּתֵנוּ secundùm similitudinem nostram. *Aliquando rei veritatem insinuat, vt Hos.4,4.* כִּמְרִיבֵי כֹהֵן *significat enim* verè contendentes cum sacerdote. & 5,10. כְּמַסִּיגֵי גְבוּל verè transferentes terminum. *Similiter Iohan.1,14.* δόξαν ὡς μονογενοῦς, gloriam reuera vnigeniti: *hoc est,* ὄντως ἢ ἀληθῶς: *quomodo* ὡς *exponitur apud Scholiasten Sophoclis in Aiace. Modò pro* (circiter) *vel* (circa) *legitur, referturque tam ad tempus, quàm ad mensuram.* Ruth 1,4. כְּעֶשֶׂר שָׁנִים circiter decem annos. Gen.18,10. כָּעֵת circa tempus; Rom. 9,9. κατὰ [illegible] καιρόν. *Ruth* 2,17 כְּאֵיפָה שְׂעוֹרִים circiter Epham hordei. *Et ad locum* [illegible] כַּחֲצִי circiter in medio. *Sumitur etiam pro* (quum) *Psal.* 12,9. כְּרֻם quum euehitur. *Iud.* 2,5. כְּדַבֵּר quum loqueretur. *Genes.*38,29. כְּמֵשִׁיב יָדוֹ quum retraheret manum suam. *Ceterùm ellipsis huius particulae admodum frequens est. Certè ad constructionis integritatem desideratur Psal.* 11,1. צִפּוֹר tanquam auis: & *Hos.*14,8. וִיחַיּוּ דָגָן vt frumentum: & *Gen.*49,9. גּוּר אַרְיֵה vt catulus leonis Iuda: & *Deu.*33,22. דָּן

Vide Animad. lib. 2. cap. 47.

דָּן גּוּר אַרְיֵה Dan catulus leonis. *vult dicere,* ſimilis catulo. *Huiuſmodi defectus eſt in illo Horatij*, nec excitatur claſſico miles graui. *ſenſus enim eſt*, vt miles. *Recipit quoque ſyllabicam adiectionem* (דֵי) *Deut.* 25,2. כְּדֵי רִשְׁעָתוֹ iuxta improbitatem, *vel* pro improbitate eius. *Iud.* 6,5. כְּדֵי אַרְבֶּה ſicut locuſta. *paullo poſt, videlicet verſ.* 12. כָּאַרְבֶּה. *Et* (פִי) *Exod.* 16,21. כְּפִי אָכְלוֹ prout veſci poterat, *vel*, quantum ſufficiebat ad cibum. *Et* (מוֹ) *vnde Leuit.* 19,18. כָּמוֹךָ ſicut teipſum: *Matt.* 22,39. ὡς σεαυτόν. *Deut.* 18,15. כָּמֹנִי tanquam me: *Actor.* 3,22. ὡς ἐμέ. *Iam verò* כַּאֲשֶׁר, *id eſt*, quemadmodum, ὃν τρόπον. כְּנֶגֶד ex aduerſo ſimilis, *vel*, contra. *Et* כְּשֶׁ quando, quum. *Et* כֹּה *vel* כָּכָה ſic. *Et* 2. *Sam.* 11,25. כָּזֹה וְכָזֶה hac vel illa ratione. *In libris Chaldaicis reperio Hoſ.* 7,1. דְּמַן כְּיוֹנָה ſimiles ſicut columba, *pro*, ſimiles columbæ: *& Sophon* 2. דְּמַן לְכְמוֹצָא ſimiles glumæ. *Quale illud Rom.* 9,29. ὡς Γόμοῤῥα ἂν ὡμοιώθημεν. *eſſet enim certè* τῇ Γομόῤῥᾳ, *& Latinè*, Gomorræ ſimiles fuiſſemus.

CAPVT VI.

LAMED *ponitur articuli loco ante datiuum casum. Psalm.* 110, 1. לַאדֹנִי Domino meo. *Et ante genitiuum. Psalm.* 121, 1. שִׁיר הַמַּעֲלוֹת *legitur in aliis locis.* לְמַעֲלוֹת canticum graduum. *quod* מִזְמוֹר לְדָוִד Psalmus Dauidis. תְּפִלָּה לְמֹשֶׁה precatio Mosi. *Item Psalm.* 110, 1. הֲדוֹם לְרַגְלֶיךָ scabellum pedibus. *Qualia sunt illa Catonis*, Ornamenta bubus: opercula doliis: instrata asinis: *quae possunt ita dici* הֲדוֹם רַגְלַיִם scabellum pedum, ornamenta bouum, opercula doliorum, instrata asinorum. *Et quasi vice* (אֶת) *ante accusatiuum.* 2.Sam.3,30. הָרְגוּ לְאַבְנֵר occiderunt Abnerum. *Ierem.* 40,2. וַיִּקַּח לְיִרְמְיָהוּ & tulit Ieremiam. *Et superare videtur ante casum rectum.* Iesa.32, לְשָׂרִים יָשֹׂרוּ principes principatum gerent. Paralip.3,2. הַשְּׁלִישִׁי לְאַבְשָׁלוֹם tertius Absalonis *quod sine Lamed reperitur 2.Samuel.* 3,3: *Et ante praepositionem* Hag.2,19. לְמִן הַיּוֹם *satis erat si esset* מִן הַיּוֹם à die. *Et ante aduerbium quantitatis.* Hag.1,9. וְהִנֵּה לִמְעָט & ecce parum. *saepe motum ad aliquid significat, & pro* (אֶל) *usurpatur.* Psa.68,19. לַמָּרוֹם in sublime: *Ephes.*

*Ephes.*4,8. εἰς ὕψος. *Esa.*53,7. לַטֶּבַח ad mactationem: *Actor.*8,32. ἐπὶ σφαγήν.*Et pro* (ב) *absque motu. Psalm.*16,10. לִשְׁאוֹל in sepulchro: *quod Græcè versum Actor.*2,27. εἰς ᾅδου *consimili enallage pro* ἐν ᾅδου. *Hos.*7,2. יֹאמְרוּ לִלְבָבָם dicunt in corde suo. *Gen.*4. לְפִצְעִי in vulnere meo. *Modò significat* (עַל super) *Psal.* 9,5. לְכִסֵּא super solio, *vel* in solio, *vel* pro solio. *Modò* (עַל contra) *Prou.*1. לְנָקִי contra innoxium. *Abd.*5. בָּאוּ לָךְ venissent contra te. *Modò* (עַל περὶ) *Psalm.*91,11. יְצַוֶּה לָּךְ mandabit de te: *Matth.*4,6. περὶ σοῦ. 2.*Sam.*11,7. לִשְׁלוֹם הָעָם de pace populi, περὶ τῆς εἰρήνης. *Esth.*3,2. כֵּן צִוָּה לוֹ sic præceperat de eo. *Modò* (בַּעֲבוּר propter) *Genes.*2,23. לְזֹאת propter hoc. *Malach.*2,3. לָכֶם propter vos. *Ioel.*2,18. לְאַרְצוֹ pro terra sua. *Interdum valet* (secundùm, *id est*, κατά) *Gen.*1,21. לְמִינֵהוּ secundùm genus suum. *Et* (secundùm, *id est*, ἐγγύς iuxta, propè) *Genes.*49,13. לְחוֹף secundùm littus. *Et* (iuxta *siue* per) *Num.*1,53. לְצִבְאוֹתָם iuxta exercitus suos. *Sumitur etiam pro* (מִן) *vt* נָסוּ לְקוֹלָם fugerunt ad vocem eorum, *id est*, מִקּוֹלָם *vt exponit Abraham de Balmis. Aliter*

 quoque

quoque [illegible] accipitur, & quasi pro (ἕνεκα) siue (quan-
tum ad [illegible]) vel (quoad) Prouerb.25,3. לָרוּם
quoad [illegible] altitudinem. Psal.18,4. לִפְעָלוֹת quan-
tum ad [illegible] facta. Et pro (אַחַר post) legitur Gen.
7,4. [illegible] לְיָמִים שִׁבְעָה post dies septem: & mox
יָמִים [illegible] לְשִׁבְעַת post septem dies. Nonnumquam
quasi [illegible] in defensionem vel auxilium significat.
Psal. [illegible] r 8,6. יְהוָה לִי Dominus pro me. Ebræ.
13,6 [illegible] ὁ ἐμοὶ βοηθός. 124,2. שֶׁהָיָה לָנוּ qui
fuit [illegible] pro nobis, siue nobiscum, id est, עִמָּנוּ.
hoc [illegible] do Ebræi explicarint. Interdum veluti loco
alicu[illegible]s; aut (pro, id est, תַּחַת) Gen.11,3. לְאָבֶן
pro [illegible] pide. Psalm.69,23. לְפָח pro laqueo.
Gen. [illegible] 6,3. לְאִשָּׁה pro vxore, id est, vxoris lo-
co, [illegible] in illo Terentij, quam ego egregiè cha-
ram [illegible] pro vxore habuerim. Sed & rei vera
præ[illegible]nitur Gen.20,12. לְאִשָּׁה in vxorem, id
est [illegible] xor reuerà. In hoc significatu omitti solet
à n[illegible] nullis interpretibus. Gen.2,7. לְנֶפֶשׁ חַיָּה
an[illegible]a viuens. Ezec.37,27. וְהָיִיתִי לָהֶם לֵאלֹהִים
& [illegible] illis Deus. וְהֵמָּה יִהְיוּ לִי לְעָם & ipsi mihi
er[illegible] populus. 2.Corinth.6,16. καὶ ἔσομαι αὐτῶν
θε[illegible] αὐτοὶ ἔσονταί μοι λαός. Ruth 4,13. וַתְּהִי
ו[illegible] לוֹ & fuit ei vxor. Aliter verò Gen.2,24.
לְבָשָׂר

לְבָשָׂר אֶחָד in carnem vnam: *& Abd.*18. וּבֵית עֵשָׂו לְקַשׁ & domus Esau in stipulam. *In his exemplis videtur* ל *positum pro aduerbio similitudinis, sensus enim est*, quasi stipula, quasi vna caro. *Innuit hæc præpositio & finem. Prouerb.*19. לְחַיִּים ad vitam. *Iesa.*42,3. לֶאֱמֶת ad veritatem. *Sic infinito prælata* לֶאֱכוֹל ad comedendum. לְצַחֵק ad ludendum. *Et officium vt Mich.*3,1. לָכֶם vestrum est. *Et possessionem quod vocant* למד הקנין *vt* לִי הַכֶּסֶף meum est argentum לְךָ אֲנִי tuus ego sum. *Accipitur quinetiam pro* (vsque ad) *Mich.*1. לְשַׁעַר יְרוּשָׁלָםִ vsque ad portas Ierusalem: *vbi defectus particulæ* עַד vsque. *Præterea iungitur pronomini, quod deinde in sermone * redundat,* Aut potius cōmodum & vtilitatem notat. *vt cùm legimus Genes.*12,1. לֶךְ לְךָ vade tibi, tibi *otium agit. Itaque omissum Actor.*7,3. *Sic Exo.*32,2. עֲשֵׂה לָנוּ fac nobis. *Zach.*9,9. יָבֹא לָךְ venit tibi. *Nec rarò desideratur.* 2.*Samuel.*16. דָּוִד הִגִּיד Dauidi nuntiauit, *id est*, nuntiatum est. *plenum esset* לְדָוִד *Psalm.*45,7. עוֹלָם *esset* לְעוֹלָם in seculum, *& 2.Sam.*4. בֶּן שָׁאוּל filio Saulis לְבֶן: *& Psal.*22. מַלְקוֹחָי faucibus meis לְמַלְקוֹחָי. *Denique pro* (ad, iuxta, prope)

sumi[illegible]etur: Psalm. 110,1. שֵׁב לִימִינִי sede ad dexteram meam. Et aliter in illo sermone ליהוה בְּרוּכָה benedicta Domino. Sic יְשׁוּעָתָה ליהוה salus Domino, ac si esset מֵיהוָה à Domino. Ad extremum iungitur quoque aliis particulis sed ferè otiosè. לְמִן à vel ab. לְאַחַר post. לְנֶגֶד coram. לִפְנֵי ante. לָמָּה vel לָמָּה ἱνατί, cur? לָכֵן [illegible] τοῦτο, לְמַעַן ὅπως, vt.

CAPVT VII.

ב Aliquid in loco significat. בַּדֶּרֶךְ in via. בָּהָר in monte. בְּאֶפְרָתָה Ephrathæ, hoc est, in Ephratha. Et in tempore. Gen. 1,1. בְּרֵאשִׁית in principio. Hab. 1,5. בִּימֵיכֶם in diebus vestris. Iesa. 49,8. בְּעֵת רָצוֹן tempore accepto: 2. Cor. 6,2. καιρῷ δεκτῷ. Hic Latini ferè omittunt præpositionē. Cicero tamen eam expressit Orat. 1. pro Quinctio, Quæ res in ciuitate duæ plurimum possunt, eæ contra nos faciunt ambæ in hoc tempore, summa gratia & eloquentia. Aliquando periphrasis est genitiui. Exod. 22,28. נָשִׂיא בְעַמְּךָ principem in populo tuo, id est, populi tui; vt Actor. 23,5. ἄρχο-

ἀρχοντα τῶ λαῶ. Adhac cauſſam vel (propter) *ſignificat. Gen.*18,28. בַּחֲמִשָּׁה propter quinque. *Hoſ.*12,12. בְּאִשָּׁה pro vxore. *Quem Ebraiſmum retinuit Apoſtolus Græcè ſcribens Coloſ.*2. *ἐν βρώσει*, propter eſcam. *Prou.*27,1. בְּיוֹם מָחָר propter diem craſtinum. *Quod elegantiùs per* (de) *exprimitur*, de die craſtino. *Similiter Matth.*6,34. *εἰς τὴν αὔριον*, de craſtino, *id eſt*, *περὶ τῆς αὔριον*. *Præponitur etiam ablatiuo inſtrumenti.* 1. *Reg.*19,10. בְּחֶרֶב gladio. *Ieſa.*7,20. בְּתַעַר nouaculâ. *Rurſus Ieſa.* 29, 13. בְּפִיו ore ſuo. *Quodgenus Græci per datiuum enuntiant. Matth.*15,8. *τῷ ςόματι αὐτῶν*. *Rarò adiiciunt præpoſitionẽ, vt epigrammate neſcio quo, ἐν βέλῳ πληγεὶς*, telo percuſſus: *qui ſermo penitus ἑβραΐζει. Aliter expreſſa legitur hæc præpoſitio Deut.* 6,5. בְּכָל־לְבָבְךָ: *Marc.*12,30. *ἐξ ὅλης τῆς καρδίας σου*, ex toto corde tuo. *Habac.*2,4. בֶּאֱמוּנָתוֹ: *Galat.*3,11. *ἐκ πίστεως* ex fide. *Et aliter Hoſ.* 12,13. בְּנָבִיא per prophetam. *Deuter.*32,21. בְּלֹא עָם per non populum: *Rom.*10,19. *ἐπ᾽ οὐκ ἔθνει*. *Pſalm.*78,2. בְּמָשָׁל per parabolas. *Ita quoq. redditur quum in iureiurando adhibetur, vt Ieſ.*45,23. בִּי נִשְׁבַּעְתִּי per me iuro. *Sic Matt.*

Ebræi vocant בֵּית הַכְּלִי *Beth inſtrumẽti.*

5,34.

5,34. ὀμόσαι ἐν τῷ οὐρανῷ, iurare per cælum; &
mox, εἰς Ἱεροσόλυμα, per Ierosolymam: ἐν τῇ
κεφαλῇ, per caput. Significat & motum ad ali-
quid Iesa.10,22. יָשׁוּב בּוֹ redibit ad eum, id
est, Leuit.16. וְשִׁלַּח בַּמִּדְבָּר & mittet in
desertum. Gen.11,4. בַּשָּׁמַיִם & expresso arti-
culo בְּהַשָּׁמַיִם in cælum: quod Ierem.51,9. אֶל
הַשָּׁמַיִם ad cælum, & Psalm.57,11. עַד שָׁמַיִם
vsque ad cælum. Sic legimus ἐν οἴκῳ εἶναι pro εἰς
οἶκον. Sanè ἐν & εἰς Attica dialecto alternant.
Aliter in hoc significato redditur Psalm.19,5.
בְּכָל הָאָרֶץ per vniuersam terram: Rom.10,
18. εἰς πᾶσαν τὴν γῆν. Et aliter Psal.91,12. בָּאֶבֶן
ad lapidem: Matth.4,6. πρὸς λίθον. Quod sic
dicimus etiam, in lapidem impingere. Sumitur
pro (contra siue aduersus) Iesa.21,13. מַשָּׂא
בַּעֲרָב Onus contra Arabiam. Exod.20. בְּרֵעֲךָ
in proximum tuum. Num.12,1. בְּמֹשֶׁה con-
tra Mosen. Exod.14. בְּמִצְרָיִם aduersus
Ægyptum. Et pro עַל (super) Nehem.2,12.
בָּהּ אֲשֶׁר אֲנִי רֹכֵב quo ego vehebar, id est, עָלֶיהָ,
vt quidem Ebræi explicant. Pro (בֵּין inter) Psal.
68,19. בָּאָדָם inter homines. Item 18,50.
בַּגּוֹיִם in gentibus. Cicero eodem modo locutus
est

est pro Archiâ poëtâ, propterea quòd Græca leguntur in omnibus ferè gentibus. *Huc quidam referunt*, Ne esto in fideiussoribus. Moses & Aharon in sacerdotibus eius, & Samuel in inuocantibus nomen eius. Dominus in sustentantibus animam meam. *Quæ nos alibi explicamus quasi* περιφραστικῶς *dicta, pro*, Ne esto fideiussor. Moses & Aharon sacerdotes eius, & Samuel inuocans nomen eius. Dominus sustentans animam meam. *puto meliùs. Potest tamen fieri vt fallar. Cuique sua placent. Sit ergo iudicium hominum eruditorum. Significat aliquando quasi in defensionem & auxilium. Psal.* 14,5. בְּדוֹר צַדִּיק pro ætate iusti. *Aliter verò Psalm.* 60. בֵּאלֹהִים in Deo, *id est*, Dei auxilio. *Sic Psalm.* 45. בְּךָ tua ope atque præsidio. *Et comitatum, vel* (עִם cum) *Psalm.* 35. בְּחַנְפֵי cum hypocritis. *Hos.* 5,6. בְּצֹאנָם cum pecore suo. 1.*Samuel.* 1,24. בְּפָרִים שְׁלֹשָׁה cum iuuencis tribus. *Deut.* 6,7. וְדִבַּרְתָּ בָּם & loquêris cum eis. *Et continuationem vt Iesa.* 66. חֹדֶשׁ בְּחָדְשׁוֹ continuis mensibus 1.*Samuel* 1. שָׁנָה בְשָׁנָה quotannis. *Et* מִן (de) *vel* (ex) *Exod.* 38,8. בְּמַרְאוֹת è speculis.

cu... lis. *item* 12,43. לֹא יֹאכַל בּוֹ non comedet ex... eo. *Leuit.*8,32. הַנּוֹתָר בַּבָּשָׂר quod supereſt de carne. 2.*Paral.*16,6. בָּהֶם ex illis. *Innuere que videtur internam reuelationem in tali-* ... Spiritus Domini locutus eſt in me. ... *ac.*2,1. מַה יְדַבֵּר בִּי quid loquatur in me. ... 1,2. תְּחִלַּת דְּבַר יְהוָה בְּהוֹשֵׁעַ initium ſer-monis Domini in Hoſea. *Aliâs vtuntur* ... *littera quaſi ad circumſcribendum verba ter-* ... *collationis. Cantic.*1,8. הַיָּפָה בַּנָּשִׁים pul-chra in mulieribus. *Vis enim in eo ac ſi dicas,* pulcherrima mulierum. *Abd.*2. קָטֹן בַּגּוֹיִם paruum in gentibus. *vult dicere*, gentium minimum. *Sic* צָעִיר בְּאַלְפֵי יְהוּדָה minima ... chiliadum Iuda? *authore Matthæo ita ver-* ... *Adhæc ante infinitum poſita in naturam* ... *erbij tranſit* (quum) *vel* (poſtquam) ... *ter.*4,46. בְּצֵאתָם poſtquam egreſſi fuiſ-ſent. *Pſalm.*4,2. בְּקָרְאִי quum inuocauero. ... *ſideratam quoque comperior Mich.* 6, 10. ... הַאִשׁ בֵּית num eſt quiſquam in domo improbi? *Hoſ.*6,9. דֶּרֶךְ יְרַצְּחוּ in via interfi-cint. *Pſalm.*44,3. יָדְךָ גּוֹיִם הוֹרַשְׁתָּ manu tuâ gentes extirpaſti, בְּיָדְךָ. *Huc referunt, nonnulli quod*

*quod Psal.*109. ואני תפלה *exponentes*, &. ego in oratione sum. *In hoc penultimo exemplo instrumentum significat; qua ratione exprimi à nobis non potuit, nisi per ablatiuum casum, ante quem præpositio semper tacetur. Jam verò repetita in sermone ambiguitatem parit, vt Iob* 18, 17. בְּרֶשֶׁת בְּרַגְלָיו. *Nescis vtrum dicat*, rete in pedes eius: *an verò*, pedes eius in rete. *Meo animo, conuerti potest, vt in illo Hos.*13,9. בִּי בְעֶזְרֶךָ *quod exponunt*, ego tibi auxilio ero אני בעזרך: & auxilium tuum erit in me עזרך בי. *Alioqui superfluit in oratione, & otium agit, videtur certè, Thren.*1,17. *Et desideratur. Psal.*18,10. כָּל־הַיּוֹם totum diem, *id est*, בְּכָל־ *vt habetur Prou.*21,26. פֵּרְשָׂה צִיּוֹן בְּיָדֶיהָ expandit Sion manus suas. *Ad extremum iungitur aliis dictionibus Hag.*1,1. בְּיַד הַנָּבִיא per prophetam: *quod ad verbum interpretantes ediderunt*, in manu prophetæ. *Iesa.*8,4. בְּטֶרֶם priusquam. 44,4. בְּבֵין inter, בְּעוֹד adhuc. *Iesa.* 32,14. בְּעַד מְעָרוֹת in speluncas. *Jon.*1. בְּשֶׁלְּמִי propter quem. בְּאֵין *&* בְּלֹא absque. *Psal.*11,2. בְּמוֹ אֹפֶל in caligine. *Jere.*51,58. בְּדֵי רִיק in vanum, *quod Job* 17,15. בַּדֵּי *legitur, eodem sensu.* Atque

Melius forte, *frangit manibus suis*. sub. panem.

Atque hæc, mi Raphelengi, ſunt, quæ ſuper litteris מֹשֶׁה וְכָלֵב colligere hoc tempore licuit. Tu qui in Ebræorum commentariis aſſiduus es, multo plura forſitan inueneris: quæ ſi ad notitiam meam peruenire non potuerunt, indulgendum eſt mihi, aliud nunc agenti; præſertim cùm admoneat poëta, neminem eſſe, qui poſſit omnia.

FINIS.

A01 146377 9